



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 186. Ferdinandi Arragoniæ Regis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

brachio sæculari traderetur. Verumta-
 men Hieronymus ad exponendam suam
 mentem publicum postulavit examen,
 quod & Synodus ad diem vigesimam ter-
 tiam Maji concessit.

§. CLXXXVI.

Ferdinandi Arragoniæ Regis obitus.

Constantiæ nuntiatum est Concilio,
 Ferdinandum Arragoniæ Regem in-
 eunte Mense Aprili satis cessisse. Rex i-
 ste adversa valetudine correptus, Castel-
 lam in patriam suam tendere meditabatur,
 spe recuperandæ sanitatis, & obedien-
 tiæ Benedicto subtrahendæ negotium
 ad finem suum perducturus. Verum
 Ingulladæ Mors iter ejus interceptit. I-
 bidem quoque suum condidit testamen-
 tum, in quo Filio successori suo Alphon-
 so Gerudæ Principi subtractionem hanc
 fervide commendavit. Mortis hujus
 nuntio non modico dolore affecta est Sy-
 nodus, plangens Regem, pacis studiosum,
 & unionis promotorem, sapientia, libe-
 ralitate, & integritate morum summe
 commendandum; justitiæ ac religioni
 addictissimum, amantissimum populi sui
 Patrem, omnibusque militaribus orna-
 tum virtutibus, quibus Victores celebra-
 ri merentur. Huic orationem funebrem
 dixit

Sæcul. XV.
 A.C. 1416.

Bzov. an.
 1416. p. 512.
 Vonder
 Hardt to. 4.
 p. 626.

Sæcul. XV. dixit Episcopus Laudensis, in quadam
A. C. 1416. Congregatione ad hunc finem celebrata.

§. CLXXXVII.

Joannis Parvi causa denuo tractata.

Gerson. to. 2.
p. 319.

Eodem die coram Nationibus, Cardinalibus, aliisque Prælatibus causa Joannis Parvi iterum agitata est. Præduxerunt Galliæ Legati Epistolam Regis sui ad Concilium, qua novem illas propositiones damnari postulavit. Postea legerunt instrumentum appellationis, quam a sententia Commissariorum tanquam injusta ad Synodum interponebant. His Episcopus Atrebatensis interloqui cupiebat, sed tam insolens excitabatur strepitus, ut orationem suam differre cogere-
 tur ad confessum biduo post habitum, in quo contra Episcopum Parisiensem, imo etiam adversus Commissarios fidei declamavit, hi enim neutri parti placebant. Gersonius ei respondere parabat, sed obstabat prolixa nimium Episcopi oratio, quo minus id eodem adhuc die præstare potuisset. Itaque alteram expectans diem, omnia Atrebatensis Præfulis argumenta contra sententiam Parisiensis Episcopi allata fortiter refutavit, & Ducis Burgundiæ *justificationem*, novem propositiones, & cetera acta produxit.

§. CLXXXVIII.